



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De modestia oculorum. Cap. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

bus proximis capitib⁹ ea persequemur

De modestia oculorum.

Cap. XV.

1 **I**Nter omnes modestiæ partes, quæ ad oculos regendos attinet, singulari quodã iure, generale modestiæ nomen sibi vendicavit: quod in eis, quasi cordis indicibus, ea virtus præsertim luceat: quapropter Sanctorum Patrum, qui disciplinæ nostræ fontes fuere, consilijs acquiescentes, de oculorum custodia, impensius cogitare, ac scribere debuimus.

2 Quàm sit autem honesta intuitus moderatio, ad eò ipsis quoque modestiæ ignaris hominib⁹ notum est, ut assertore non egeat. Habent enim oculi vim profectò magnam ad hominem totum honestandum, & turpitudinem quamvis decoris sui pallio contegendã; quod multis, & quotidianis experimentis exploratum est. Cuius certe veritatis argumentum producit ipsa naturalis oculorum pulchritudo, quæ faciẽ alioquin deformem sola condecorat: sic enim oculorum modestia, quæ spiritualis
quæ.

quædam venustas est, vi tanta pollet, vt hominem quoque moribus deformatum, Angelico more, ac decore commendet.

3 Contra vero, viros etiam bonis moribus insignes, oculorum incuria sic deformat; vt penè incredibile videatur, cum ea cernendi licentia veram virtutem, ac diuinæ præsentiaæ studium posse consistere: quod & sæculares viri (spontanei proximorum censores) identidem obijciunt.

4 Habet etiam modestia hæc, præter decorem illum ad pacandum hominem vim certè maximam, quæ summa utilitas est: cum enim rerum plurimarum imagines noxias excludat, animus, qui euagatione molestissima torquetur, dum à rebus diuinis inuitus distrahitur, intuitu represso, tantò fit Deo propinquior, quanto à rebus corporatis alienior: nec ratio hæc fideliores testes, quàm propriam cuiusque cõscientiam, cum licenter aspexit, accersere potest.

5 Enimuerò quemadmodum oppilatistis ostijs à fori tumultu, & raptorum irrupti-

L

rupti-

ruptione, quiescitur: sic dum animæ fenestæ, hoc est, oculi obstruuntur, nec fenestri strepitus irrumpunt, nec intrat mor per fenestras: sed ea solum negotia mentem occupant, quæ gerere, hominis plurimum interest.

6 Quid autem dicemus, de theatro illo interno, cuius aspectu oblectatur animus, qui rerum corporearum sibi conspectum interdixit? Porro ad rem est, quod accidit mulieri illi, quæ consilio Elisei Prophetæ, prudenter vasa, vasa multa vicinis mutuata, foribus clausis, oleo ad summa labia implevit: mirum quippe in modum è paruo lecytho magnam olei vim distillantem intuita, iucundior intra domum, quàm in vrbis platea spectacula vidit: sic sanè, qui Sanctorum Patrum consilio parans se condit intra se, ac spiracula carnis obturat, mirum est, quanto perè delectetur, cum lætitiæ oleum in sensuum vasa cernit infundi.

7 Fratres ergo nostri solatijs Dei fructuari, ne molestè ferant rerum præsentium aspectu carere; quem lucra tanta comitantur: sed actus modestiæ proponamus.

EX

E X E M P L V M.

8 **A** Nimaduertendū est igitur sensum visus, vt omnium quinque exteriorum prestantissimum, ita velocissimū esse: ac propterea multa indigere vigilantia, vt licentiam, velocitatemque dediscat.

9 Notandum verò maxime, ac memoria imprimendum est, huius modestiæ studium esse meritorum feracissimum; ad cō sanè, vt quamuis grauiora fastidia, & excelsiores actus aliarum virtutum, puta humilitatis, & mansuetudinis sint: quia tamen eorum occasiones rarò, aut valdè rarò se offerunt, & oculorum occasio, frequentissima est, rebus collatis, ac pensatis probabile videtur, modestiam hanc, quod ad merita paranda spectat, cui libet è virtutibus nobilioribus, & fortasse pluribus simul esse parè: quod & de filètio pariter asserendū est.

10 Ratio verò asserti huius sic assignatur; quo Religio aliqua perfectior est, eo minores, & rariores ab alijs mortificationes imminet: sunt enim omnes mites, humiles, charitate flagran-

tes, & alijs virtutibus pollent, quarum studio à proximorum offensione vigilantissime abstinēt: sed & Superiores ipsi ferè nihil correptione dignum intenoscentes, subditos, quos ardentè amant, leniter exercent, & exercitijs ipsi potius solantur, quam exasperant; Ex quo efficitur, vt perquàm raro serijs molestijs subditi exerceantur (nam, quas vita communis cōgregationis parit, non sppellamus serias.) Reliquum ergò est, vt molestia illæ, quas contra proprium appetitum, quibus sibi propter Deum infert, cum seruis reluctantes compescere serio curam meritorum fontes vberes sint. Sed à internos actus descendamus.

ACTVS INTERNI.

Modestissime Iesu Christe, firmissime decerno, me oculos à rebus minime necessarijs auersurum propter te.

Nolo, mitissime Domine, aliqui in hac mortalitate pulchrum intueri.

Profectò, amantissime Deus, quamuis ex aspectu corporum immensarum

voluptatem percepturus essem, illa non aspicerem, propter te.

Abfit à me Domine, vt aliquid curiose intuear.

Quin etiam, optatissime Deus, quæ videre licet, intueri nolo, vt te tandem videre queam.

Ex animo deliberò dulcissime Domine me nunquam (quod ego animaduertam) ré aliquam, quæ à te animum diuertat, intuiturum.

Malo, Domine, vt mihi oculi, eruantur, quàm vel semel illis abuti.

Auerte, Desideratissime Deus, oculos meos, ne videant vanitatem.

Hos actus valde commendamus, si cum externis coniungantur.

ACTVS EXTERNI.

12 **N**Otandum est, non esse nostrum, in hoc libro, de actibus, Scholastico more pressè loqui: sed actus nobis erunt, ipsæ actuum omissiones, quæ cui-libet tractatui congruent: quod pro modestia, & silentio peculiariter dicimus: quamuis verè boni actus interni producantur, qui malos externos prohibe-

hibeant: ideo quippe oculi quiescunt, nec intuentur, quia hoc, vero ac proprio actu interno ratio imperat.

13 Actus ergo externi (quod ad oculos attinet) sic exerceri debet, ut mens, cum occasiones instant, imperet oculis, ne moueantur, ne aspiciant, ne aut si aspicerent ceperunt, desistant: quod ex disciplina nostra, sic habendum est.

14 Incedit frater aliquis per Dormitorium; auribus percipit longinquum alterius expuentis, cellam aperientis, loquentis, vel transeuntis strepitum; statim oculi à concupiscentia curiositatis moti, quasi saltu, vellent eo se proripere: tunc ratio, velox, oculis internis in Deum coniectis, debet eos coercere, auiens: Nolo, Domine, aliquid intueri, quod ad te non conferat.

15 Hic modus obseruandus in subiectis euentibus: cum quis incedit; cum in Chorum, Refectorium, Oratorium, Recreationis locum ingreditur: cum quippiam exercet, puta, cum verrit, vasa mundat, onus portat, vel quid simile obit: ac denique quoties necessitas, vel utilitas oculos non requirit.

16 Quod

16. Quod ideo asserimus, quia ubi ministrandum Missæ, vel mensæ, vel quid eiusmodi agendum est, non sunt oculi prorsus cohibendi: sed sine licentia nimia, attentè dispiciendum, quid desit, aut super sit; aliæq; loci personarum, & functionis circumstantiæ considerandæ sunt.

17. Iam autem satis patebit, quàm turpè sit, eorum, quos Fratres alloquuntur superioris præsertim faciem inspectare: audaciæ quippe genus est, à statu nostro longè seiunctum: modus autem ceruicendi ex gravitate, ac hilaritate, ad quãdam mediocritatem, siue sinceritatem, quæ licentiam, & rusticitatem excludat, temperandus est.

18. Illud verò, præ omnibus cauendum, ne in publicis functionibus, vel cætibus, siue ad animum; siue ad corpus atinentibus modestia desit: intolerabilis enim deformitas est: in Choro, alterum Chorum, vel ingredientes, vel exeuntes inspicere: in Refectorio ex mensa vana, eos, qui è regione accumbunt, ingrediuntur, vel abeunt, intueri; in sup-

L 4.

plica-

plicationibus, vel dum canitur Antiphona Beatissimæ Virginis, & quoties in Ecclesia quid eiusmodi fit, oculos efferre.

19 Omnem autem modestiæ arduitatem Fratres nostri vincant, si præsentis Dei ardentem inuigilent: ille quippe animi intuitus in cælum intentus terræ intuitum prohibebit.

20 Erit quoque salubre consilium, quod visus res momentanea fit, & facillimè prætereat, aliquod inimosynon (quod remedium memoriæ nuncupamus) usurpare: puta chordulam brachio religatam, quæ modestiæ animam admoneat. Multa quoque alia spontè præstabit, qui subiectas rationes ponderauit.

21 Inter primas, & pueritiæ, ac adolescentiæ proprias præceptiones, quibus à pædagogis, ætas illa nobilium instituitur, modestia est; quasi dedecus sit, impudentiam, oculorum licentia præferre: nec est aliqua in orbe gens, tametsi à Christi fide sit exul, quæ ductu saltem rationis honestatem hanc non discat, & commendet, quod ex nouissimis Iapo-

niz,

nix, aę Sinarum historijs patet: æquum ergò erit, eos, qui ad aulam cœlestem erudiuntur, & meliora bona conquirunt modestiam ex animo colere.

22 Præterea, certum est, quod ad nos attinet, modicam delectationem ex ijs quæ apud nos videri possunt, eliciendam non enim celebrantur in claustris bellorum simulachra, nec theatri ludi, vel alia, quæ varietate, ac nouitate delectant: sed videri possunt homines inopes, vestes rudes, muri non picti, conca-merationes parum elegantes, & eiusmodialia; quæ licet aliquid nitoris haberent, bis aut ter inspecta, tædium generare deberent: cur ergò vanissima hæc, & ab omni ratione alienissima voluptas oculis non denegetur, propter animæ bona pretiosissima?

23 Deinde, compertum est, Deum fecisse hominem rectum, ipsum verò contra Dei propositum, se immiscuisse infinitis quæstionibus: erat enim propositum Dei, vt rectà cælum peteret: nec rerum inanium diuerticulis aberraret. cum ergò, ad hanc rectitudinem instaurandam claustra conducant; qualis er-

ror erit, claustris, quasi theatris abuti, & sponte propria, dum oculis laxantur habenæ in cogitationum, & quæstionum innumeros labyrinthos incurere?

24 Neminem quippe latet ex oculorū licentia quæstiones inexplicabiles oriri, quæ homines, ad interitum pertrahunt; quod & Dinæ filix Iacob Sichem urbem ad eius excidium intuentis, & Dauidis Bethsabæe ex aula regia cernentis, & appetentis culpa, & senum Babylonis Susannam contemplantium infelix exitus ostendit.

25 Verum exempla sunt innumerabilia; quæ rem hanc persuadere possunt; at nec scaria non videntur, cum quisque sui conscius sit, & aliqua ex vitisdamna persentiat. Non enim negligentes tantum, sed studiosi quoque modestiæ cultores, quandoque labuntur: qualis fuit ille, qui (assertore in confessionibus Augustino) cum validissimè repugnasset amicis eum ad ludos gladiatorios in theatrum pertrahere conatibus, hortationum improbitate fractus itur-

rum:

rum se, at oculos, ne ludos videret co-
hibiturum promisit: quod sanè initio
præstitit: at cum clamor ludorum in-
ualefceret; curiositatis spiculò vulnera-
tus, oculos aperuit: vidit; damnum
cordis sensit: & peior multò, quàm ve-
nerat, regressus fuit. Quid ergò ignavi,
qui non repugnant, sed non rogati, quæ
curiosè videant, inuestigant?

26 Profecto, quantum oratione, auste-
ritate vitæ, admonitionum frequentia,
& alijs exercitijs corradunt, oculorum
evagatione profundunt: & quamvis
per annos centum in clauastro se la-
boribus conficiant, spirituales viri ef-
fenequibunt. Qua de re, sanum con-
siliū prudentissimi Iob ab eorum a-
nimis nunquam discedere deberet:
Fœdus pepigi cum oculis meis, - vt ne
cogitarem quidem de Virgine: cuius
sermonis forma videtur impropria:
pangit enim fœdus, ne cogitet; &
non cum intellectu, sed cum oculis
pangit. Sed energia in sermone multa
inest: qui enim malà cogitare non vult,
cum oculis pactum initurus est: quafi

dicam⁹: portas cogitationū oclufurus.
 27 Ceterum, ad ipsum exemplar modestiæ esum Christum veniamus, qui hac in remiram honestatem, ad nostrā eruditionem exhibuit. Euangelistæ quippe eius modestiam (quod grauissimi Patres annotarunt) scriptis, inter clarissima opera committendam censuerunt. Hoc enim sibi volunt illæ dicendi formulæ: Eleuatis oculis in cœlum: Eleuatis oculis in discipulos suos: Cum eleuasset oculos, &c. Nimirum, licet sine damno posset, non omnia tamen inspectabat: quod, quamuis vniuersi Christiani imitari deberent: à Religiosis tamen strictissime exigendum est.

28 Quid verò de Beatissima Virgine adijciemus, quæ inter vniuersos Adæ filios, illum hac in re accuratissime imitata fuit? Certè, qui Virginis imaginem concipit, tantundem agit, ac si puellam speciosissimam, verecundissimam, & oculis demissis honestissimam depingeret: habitus enim Virgineus aliter representari nequit: & hæc omnium Christianorum consensio est.

29. Enitantur ergò tantæ Virginis filii
hac honestate decorari: & hæc filiorum
dignitatem insigni modestiæ cultu ubi-
que prætere: inter alia enim cælestis
patriæ gaudia, hoc eis pro hac sedulita-
te reddetur, vt pulcherrima, & suauissi-
mo decore præstantissima Iesu Christi,
ac Beatissimæ: Virginis corpora cer-
nant.

*De Silentio.**Cap. XVI.*

1. **S**I quis putat se religiosum, hoc est,
Dei cultorem esse, non refrænans
linguam suam, (vt Iacobus Apostolus
ait) huius vana est religio, siue la-
tria.

2. Grauißimum certe assertum est: vi-
detur enim Apostolus permittere, vt
quis virtutes alias quantumuis colat;
hoc excepto, vt linguam moderetur; &
hunc, quasi veræ fidei, seu religionis ex-
ortem, vanum appellat.

3. Ex quo satis se prodit silentij laus:
quam linguæ modestiam licet nuncu-